

(a) Leo
epist. 54.
Quæ de
Anatolio
Leo Pap.
ad Mar-
cianum
Imp.

* nostro
Dispensa-
vit Leo
cum Ana-
tolio.

XV.

dicto Herculanum Consulatu, ad Marcianum Imperatorem idem sanctus Leo eadem ex causa scripsit epistolam (a), ubi post congratulationem de propulsata una cum hæreticis hæresi, & fide Catholica stabilita, hæc ambitiosa de Anatolii temeraria præsumptione: *His autem, propter quæ tanta facta est congregatio sacerdotum, bono & optabili sine compositis; miror & doleo, quod pacem universæ sanctæ Ecclesiæ divinitus reformatam ambitionis rursus spiritus, inquietet. Quamvis enim necessarier sibi frater meus Anatolius consuluisse videatur, ut ordinatorum suorum errorem deserens, in assensum Catholice fidei salubri correctione transferret; custodire tamen debuit, ut quod vestro * beneficio noscitur consecutus, nullius cupiditatis pravitate turbaret. Nos enim vestræ fidei & interventionis habentes intuitum, cum secundum suæ consecrationis auctores ejus initia titubarent, benigniores circa ipsum quam justiores esse volumus; quo perturbationes omnes, quæ operante diabolo fuerant excitatæ, adhibitis remediis leniremus: quæ illum in modum magis quam immoderatum facere debuere. Hæc sanctus Leo: eo quod, cum esset deponendus Anatolius, qui cum Dioscuro sedatus fuerat Eutychieam hæresim, & vitiose atque tyrannice per Dioscorum fuerat in locum S. Flaviani subrogatus: abdicata hæresi, precibus Imperatoris indulserat bono pacis ipse sanctus Leo, ut remaneret Constantinopolitanus Antistes: non enim alterius quam Romani Pontificis erat dispensare, ut tot asperus sordibus homo federet Episcopus. Subdit vero hæc sanctus Leo:*

Qui etiam si præcipuis meritis, optimoque judicio legitime fuisset ac solemniter ordinatus; contra reverentiam tamen canonum paternorum, contra sancti spiritus instituta, contra antiquitatis exempla, nullis posset suffragiis adjuvari. Apud Christianum & vere religiosum, vereque Orthodoxum Principem loquor. Multum Anatolius Episcopus proprio detrahit merito, si illicito crescere optat augmento. Habeat (sicut optamus) Constantinopolitana civitas gloriam suam, ac protegere dextera Dei, diuturno clementiæ vestræ fruatur Imperio: Alia tamen ratio est rerum secularium, alia divinarum;

PAGIUS

maque Constantinopolim eo anno scriptas. Verum ut docui, in Dissert. Hypatica, usus ferebat, ut in Oriente, vel uterque Consul in Actis publicis memoraretur, vel solus Consul Orientalis, vel is cum hac formula, *Et qui fuerit nunciatus vel denique, ut Consules superioris anni, aut etiam solus Consul Orientalis, nomina cum hac formula proponerentur, post Consulatum NN. qui pariter mos in Occidente servabatur. Quam observationem hic non iterarem, nisi viderem,*

nec præter illam petram, quam Dominus in fundamento posuit, stabilis erit ulla constructio. Propria perdit, qui inaddebita concupiscit. Satis sit prædictio, quod vestra pietatis auxilio, & mei favoris assensu, Episcopatum tanta urbis obtinuit: non dedignetur regiam civitatem, quam Apostolicam non potest facere sedem: nec ullo speret modo, quod per aliorum possit offensiones auferri.

Privilegia enim Ecclesiarum sanctorum Patrum canonibus instituta, & venerabilis Nicæna Synodi fixa decretis, nulla possunt improbitate convelli, nulla novitate mutari. In quo opere, auxiliante Christo, fideliter exequendo, necesse est me perseverantem exhibere famulatum: quoniam dispensatio mihi credita est, & ad meum tendit reatum, si paternarum regule sanctionem, quæ in Synodo Nicæna ad totius Ecclesiæ regimen, Spiritu Dei instruyente, sunt conditæ, me (quod absit) connivente, violentur; & major sit apud me unius fratris voluntas, quam universæ domus Domini communis utilitas. Et ideo sciens gloriosam clementiam vestram Ecclesiasticæ studere concordia, & his quæ pacificæ congruunt veritati piissimum præstare consensum; precor & sedula suggestionem vos obsecro, ut ausus improbos unitati Christianæ pacique contrarios ab omni pietatis vestræ abdicetis assensu; & fratris mei Anatolii nocituram sibi, si perstiterit, cupiditatem salubriter comprimatis: ne ea quæ vestræ gloria temporibus inimica sunt cupiens, major suis velit esse prioribus, &c. Ad finem vero: Convenit (inquit) fidei vestræ, vel gloriæ, ut sicut hæresis Deo per vos agente destructa est, ita etiam omnis ambitus retundatur: Agitur quod & Christianæ est pietatis & regie, ut prædictus Episcopus pareat Patribus, consulat paci, neque sibi æstimet licuisse, quod Antiochena Ecclesia sine ullo exemplo contra statutum canonum Episcopum ordinare præsumpsit: quod nos amore reparanda fidei, & pacis studio, retractare cessavimus. Hæc & alia ingere, ad postremum legatos ab Imperatore missos excusat, quod per eos non steterit, quo minus eam causam sedulo pertractarint; sed quod esset injusta, nihil potuisse opera sua consequi.

XVI.
Rom. Pontif. vindex
Canonum.

XIX

XIX

Scri-

Viros eruditissimos adhuc hæc in re hæreticæ in secunda Epistola Marciani a Leone idem petit ac in prima. Verum Sanctus Pontifex Epistola data. XI. Kalend. Junii Herculano Consule, quæ alias erat LIV. nunc LXXVIII. Marciano respondet, Constantinopolitanam Sedem, quæ Regia esset, non Apostolica, aliarum depreffione attolli non posse: rogatque Imperatorem, ut Anatolii Episcopi Constantinopolitani cupiditatem comprimat.